



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

Pars I. Virtutes in Parocho requisitæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**



MANVALIS  
PAROCHORVM  
PARS I.

Institutiones morum.

*Pascite, qui in vobis est, gregem Dei,  
forma facti gregis ex animo.*

I. Petri 5.

C A P V T I.

Sit boni exempli.

NVM: I.

*Quanti id referat.*



Vò Pastor ouium præit,  
grex sequitur : siue ille  
in planitiem ducat, siue  
in præceps : ita populus  
Parochum obseruat, & quò ille præ-  
cedet, pertrahitur : ea vis est exempli  
boni, mali: sed mali præsertim, in

A

ijs

iis maximè, qui præfunt; credunt enim subditi, sibi licere, aut impunè fore, quod factis maiorum probari vident. In hunc sensum iuuenis apud Comicum conspicatus in pictâ tabulâ Iouem adulterantem: hoc facit ille, inquebat, qui cœlum tonitru quatit, ego homuncio non facerem? tantum nocuit vel vmbra spectâsse. Quòd si Medico probrum est obiici, *Medice, cura te ipsum*, probrosiùs pastoribus animarum obiicitur, *Dicunt, non faciunt*, quibus si contrâ obtrudas, *quæ dicunt facite*, ipsi retrudant: *Sed ve homini illi, per quem scandalum venit*. Refert Cantipratanus, Parochum quendam, qui, uti erat improbus, improbè regebat, incidisse in lethalem morbum; apparuisse decumbenti S. Petrum pastorum principem, & obtulisse legendum ex libro, hoc scriptum: *Mortificas animas, quæ non moriuntur, & viuificas, quæ non viuunt: quomodo reduces animas eorum ex inferno, quos tu exemplo destitutos*

tutos

*Pars prima.*

3

*tuos eterno barathro addixisti?* Hoc  
fulmen ne recidat in caput, pauen-  
dum, cauendum.

NVM: II.

*Sensus Sanctorum Patrum.*

**M**ulta de hoc argumento S S. Pa-  
tres: acerbè Bernardus, *Misera*  
*Sacerdotum conuersatio, fit misera plebis*  
*Dominica subuersio.* Explicant id Am-  
brosius, & Chrysoftomus capitis &  
membrorum in homine; radicis &  
ramorum in arbore ductis aptè simili-  
tudinibus: vt enim mali humores à  
capite in membra, vitia à radice in  
ramos sese diffundunt: ita à Paro-  
chis in Parochianos eadem dimanant,  
& quod consequens est, grauissimæ  
offensi vindicisque numinis iræ & sup-  
plicia: hinc illæ in Ieremiâ lacry-  
mæ, *Quia stultè egerunt Pastores, & Do-*  
*minum non quasiuerunt, omnis grex meus*  
*dispersus est.* Certè (vt ceteros fileam)  
SS. Cyprianus & Gregorius grauissi-

A 2

mas

4 *Manualis Parochorum*

mas calamitates suorum temporum, ille in Africam, hic in Italiam diuinitus immittas Sacerdotum peccatis adscribunt: neq; nos inficiari possumus, Pastorum incuriâ, luxuriâ, luxu, fastu, aliisq; peccatis factum, vt pestilentissimæ hæreses magnam Europæ partem infecerint, eamq; intulerint corporum, animarumq; stragem, qualem etiamnum deflemus.

NVM: III.

*Mens Tridentini Concilij.*

**N**ihil est, aiunt grauissimi Patres Tridentinæ Synodi, nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicârunt: cum enim à rebus seculi in altiorum sublatis locum conspiciantur; in eos tanquam speculum reliqui oculos conijciunt, ex eisq; sumunt, quod imitentur: quod propter decet omnes vitam, morésq; componere: vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsq;

aliisq; omnibus rebus nihil nisi graue, moderatum, ac religione plenum pra se ferat; leuia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant: vt eorum actiones cunctis adferant venerationem. Verba singula ad rectae rationis bilancem trutinare, & expende: ac demum ad eiusdem Sacrosancti Concilij statutum mentem aduerte: est seuerum, & acre: statuit enim: vt quae aliàs à summis Pontificibus, & sacris Concilijs de luxu, comestationibus, choreis, aleis, lusibus, & ejusdem generis sancita fuerunt, iisdem impositis poenis, aut etiam maioribus Ordinarij arbitrio constituendis obseruentur, quarum legum ac poenarum ratio fuit bonorum morum corruptela ex prauis Pastorum exemplis: & licet ista generatim in Clericos ferantur: nemo tamen nescit ad Parochos potissimum pertinere.

## CAPVT II.

Sit humilis.

NVM: I.

*In animarum Pastore humilitas in-  
primis necessaria.*

**V**Estes, quibus Mosaici Sacerdo-  
tes induebantur, varii erant  
coloris, tunica verò, quæ superindu-  
cebatur, ad talos vsque prominebat:  
vt ex vestitu intelligerent, à se pro-  
priè requiri omnem iustitiam, id est,  
omnium virtutum inter se complexa-  
rum vario, eoque pulcherrimo orna-  
tu animi præstantem. Quod multò  
magis ad nouæ legis Sacerdotes, mul-  
tò etiam maximè ad eos, qui in ani-  
marum curâ aliis præsunt, traduci  
debet. Sed tamen sunt in amplissimo  
illo virtutum numero nonnullæ, quæ  
ob singularem causam in pastorali  
munere præ reliquis desiderantur,  
atq; in primis eximia quædam Humi-  
litas,

litas virtus ceterarum parens, altrix, custos. Primò enim cùm Christi gregem pascere de se munus sit præclarum, atq; eminens; nihil pronius est, quàm animum plus æquo efferri, nisi Humilitas intra modum hominem, contineat, quare magnos monet Scriptura: *Quantò maiores, humilia te in omnibus.* Præterea cùm hic honos onus sit admodum graue, humanisque viribus impar, & periculosum, præsertim adhuc inexpertis, exquirendus est singularis Dei fauor, quo pares animi, virésque suppeditentur: atqui ex sacris literis, & plurimis historiis constat, nihil ita ad id conferre, atque egregiam animi demissionem: ideo idem Sapiens, cùm monuisset: *Humilia te in omnibus*, subiunxit, *& coram Deo inuenies gratiam*; mirum enim quantum suprema illa Maiestas consentiat humilibus, & contrà superbis resistat. Contuere vno quasi aspectu omnem præteritorum temporum histori-



storiā reperies DEVM hunc semper lusum in orbe terrarum lusisse;

*Exaltare humiles, & debellare superbos.*

Sint instar omnium duo pastores Saul, David: ille, quòd superbè egisset, regno, & vitâ excidit: hic, quòd paruulus esset in oculis suis, caput in tribubus Israël effectus est: quanquam nihil opus veteribus exemplis, abundamus eorum partim, qui cùm se demissè in curâ animarum gessissent, ad summos Ecclesiasticorum honorum gradus euecti sunt, partim, qui ex humili nonnunquam loco ad sublime animarum regimen elati, quòd se insolentiùs efferrent, eò grauiori casu DEO ultore corruerint, quò altiùs conscenderant.

N V M: II.

*De Modestia.*

**H**VMilitatis filia, aut cognata est Modestia, cujus enim animo insederit humilitas, modestiam mox parit,

parit, aut secum adgignit, eaque æquè excellere oportet animarum Curatorum. Cernitur autem Modestia in externâ, eaque decenti totius corporis compositione, in moderato vestitu, ac victu, & in rerum necessariorum, apparatu minimè sumptuoso. Perridiculi sanè pastores animarum essent, qui crines capitis in suggestum attollerent, calamistro in cirros comerent, infra auriculas promitterent, frontem caperarent, erigerent supercilia, oculis sagittarent, inflarent genas, nasum corrugarent, labia premerent, barbam mustacijs infamarent, idque nonnunquam cum periculosâ sacri calicis sumptione: verba infringere, & ad aulicismum formarent, manus jactarent, incessum ad modulos componerent, calceos fenestratos, tibialia serica, vndulatam supra modum vestem, & nitentem circumferrent, & ostentarent, quid magis insolens, & quid inconcinnius istâ concin-

nitate in Clerico? Igitur vestis sit munda, sed absit fastus, & luxus, siue in materiâ, siue in modo vestiendi: sit domus nitida, sed absit nimius aut sumptus, aut splendor. Dignitas sit in coronâ detonsi capitis, & decenti habitu clericali: nam hæc Sacerdotii insignia sine causâ negligere, sunt, qui damnent culpæ grauioris: præsertim vbi id foret scandalosum. Quo in genere facilè etiam offenderes, si absq; veste clericali vel domi, vel foris ab aliis deprehendaris.

NVM: III.

*De Mansuetudine, & Patientiâ.*

**I**am S. Bernardus mansuetudinem humilitatis collectaneam appellauit: itaq; vt humilem, ita te modestum ad omnes esse oportet. Consistit autem mansuetudo præsertim in moderandis motibus iracundiæ: vt nihil ore, gestu, facto iracundè agatur, ne quid implacidè, aut duriter,

ne

ne quidem cum iis, qui conditione viles sunt, aut bilem mouent. Itaque dentes neminem mordeant, caninum hoc est; lingua nullum virulenter pungat, istud serpentinum: hominis est sermone vti humano, moribusque commodis, etiam in homines agrestes, & nonnihil feros.

Atq; hinc porro necessaria est patientia, quam mansuetudini naturaliter esse coniunctam S. Basilius dixit: cum enim patientiæ inter cetera officium sit, inter res aduersas, & nonnunquam duras, atque acerbis frenare animum, ne in verba iracundiæ prorumpat: immitius, atq; impetuosiùs ages; nisi patientia retineat: atque hoc tandem pastoritium est, vita scilicet laboriosa, & multorum incommodorum patiens. Vide hinc tu mihi breuiter velut in speculo ouiculam: animal hoc quidem timidum est, atque fugitium: sed tamen docile, & sequax; nam si pastorem nanciscatur humilem, modestum,

stum, mansuetum, patientem, regi se,  
 & quocunque duci sinet. at si super-  
 bum, insolentem, durum, impatien-  
 tem; aut fugiet è grege; aut tractari  
 refugiet. Ita te amabit populus, &  
 facilè sequetur, si demissione animi,  
 modestiâ, mansuetudine, patientiâ  
 præditum videt: si verò elatum, si  
 immodestum, si immansuetum, si im-  
 patientem, odit, horret, neque patitur.  
 Verùm de his commodiùs, & paulò  
 fusiùs, cùm in tert. part. de modo  
 conuersandi agetur.

### C A P V T III.

Sit liberalis.

NVM: I.

*Turpitude Auaritie.*

**E**st hoc vitium non modò illibe-  
 rale; sed planè inhumanum; de-  
 nique multorum capitum, capitalium,  
 inquam, scelerum Hydra: A Sapien-  
 te pridem dictum: *Nihil est iniquius,*  
*quàm*

quàm amare pecuniam; auaro autem nihil est scelestius. Et Apostolo auaritia idololatriæ cuiuspiam genus est. quod explanans S. Augustinus: *Auari, inquit, frui volunt nummo; uti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt; sed Deum propter nummum colunt.*

## NVM:II.

*Detestanda in sacris.*

**I**D etsi semper turpe sit: tum verò turpissimum; imò flagitiosissimum, in Clericis, qui non modò crines, curam scilicet rerum superfluarum, solenni ritu à se abdicârunt; ut in Domini sortem venirent: sed & quò sanctiùs sacra tractarent, se quoque diuino cultui dedicârunt. Quàm putas execrandum: si ij de rebus ipsis sacris nundinentur; & (quod de nonnullis Apostolus conqueritur) ipsam pietatem quæstum faciant? nam si habere quæstui rempubl, sceleratum, &

nefarium esse duxit & dixit Cicero, immanè quantum horribilius, haberi quæstui ipsam religionem? adeò (quod idem Orator scribit) *nullum est officium tam sanctum atq; solenne; quod non auaritia comminuere, atq; violare soleat.* Veniant hîc tibi, quæso, in memoriam filii Heli: hi nescientes *Domini* (vt referunt sacri Regum annales) *neq; officium Sacerdotum ad populum, ministris sacrorum mandabant: vt fuscinulâ tridente, victimarum carnes leuarent, dum coquerentur, & vt antequam adipem adolerent; crudam carnem vi auferrent eâ ferreâ lege, aut dabis, aut vi tollam: erat autem, inquit idem sacer textus, peccatum puerorum grande nimis coram Domino. Vis audire causam? quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Sed non fuit impune scelus hoc; Supplicium enim graue de sacrilegio sumptum; in flagitii detestationem arca capta, impiû sacrificuli mortè mulctati, suâq; ruinâ paren.

parentem quoq; conuenientem inuoluerunt. Redeat præterea in mentem Simoniacæ labis antiquus author, Giezi. Hic pro leprâ diuinitûs depulsâ pretium Elisæo priûs oblatum atque repudiatum, cùm sordidus nundinator corrasisset, pro supplicio sibi, posterisque lepram domum reportauit.

Age verò, quid faceres, insignibus scilicet animarum curatoribus, qui non tam procurandæ religioni, quàm cumulandis opibus incumberent? Quibus non pascere gregem, sed se ipsos cura esset; inseruire non illius, sed propriis commodis; quos videres non viuere contentos ouium lanâ, & lacte; sed etiam eas mulgere ad plenum, imò ad cutem deglubere intentos: qui pro rebus sacris, ipsisque Sacramentis pecuniam exigerent à pauperibus, etiam extorquerent hâc impiâ voce, vel sponte dabis, vel tol- lam; si, prò nefas! aquam baptismi pecuniâ ab egenis extortâ vendita-  
rent,



rent, & Christi sanguinem pro viatico petentibus, nisi acceptis 30. denarijs, tradere nollent. Scio his præsertim temporibus, ac locis eiusmodi pastorum Idola, aut portenta vix reperiri. Sed tamen olim fuere aliqui, & sunt fortasse nonnulli; vide ne tu vnus.

NVM: III.

*Insignis liberalitas in Pastoribus  
Ecclesiasticis.*

**V**T auaritiæ vitium est sordidum, ac barbarum in viris Ecclesiasticis, ac pastoribus præsertim: ita liberalitas virtus est præclara, omninò regia, diuina: nihil splendidius auro, & argento; cùm in arcâ non sordent; sed pauperum manibus teruntur; nihil magis regium, quàm dare, imò nihil magis diuinum; da, & Deus eris. Prolixum argumentum persequi non vacat: inspice saltem per transennam exempla præstantium aliquot Pasto-

Pastorum, qui cum scirent Ecclesiastica bona patrimonium esse Christi, sibi quam minimum reseruabant, quam plurimum in egenos diuidebant.

Joannes ille, qui à re ipsa Eleemosynarius dictus est, ita sibi parcus, ita in pauperes effusus vixit: ut moriens in arcâ non plus vno nummo reliquerit, quem etiam, ne quid superesset, pauperibus legârat; domesticam habebat pauperum turbam, quos Dominos suos appellabat, ijs quidquid poterat colligere, etiam lectos, & stragula per nomina in singulos elargiebatur; quorum similia de S. Carolo Borromæo in vitâ accepimus. Quid de S. Basilio? discite de rationibus, quas exigente Juliano Apostatâ de rebus à se possessis, ita reddidit.

*Reditus mei Episcopatus sunt:*

Ager	-	-	-	1.
Oleæ	-	-	-	10.
Aluei	-	-	-	10.

Mola

Mola	-	-	-	1.
Oues	-	-	-	40.
Palmae	-	-	-	8.
Fici	-	-	-	3.

## P A R V V S H O R T V S

Pergit

*Quorum me dominum non sentio, sed dispensatorem; cum mihi eorum incumbat cura: ut inde pauperes alantur: nam hic status noster adeo arctus est, ut si fors quispian Sacerdotum ea sibi reseruet, aut in malos usus expendat, equalem poenam mereatur, & qui dilapidat, & qui ex altari furatur. Audis Paroche? Gregorius Thaumaturgus, cum viueret, nullius loci dominus dici: post mortem vero iacere voluit non nisi in alieno sepulchro. S. Paulinus Episcopus Nolanus ita orabat: Non excrucior, Domine, propter aurum & argentum: tu enim sis, ubi sint omnia mea. Opinor ego, Pauline, ibi fuisse reposita, ubi posuit etiam ille, cuius haec vox semper erat in ore, Deus meus, & omnia. Habes pastores  
ani-*

animarum, qui non opibus alienis cum-  
mulandis; sed suis profundendis stu-  
duerunt. Hos inspice, ista imitare:  
admouet stimulum Apostolus: *Est,*  
*inquit, questus magnus pietas cum suffi-*  
*cientiâ, nihil enim intulimus in hunc mun-*  
*dum, haud dubium, quin nec auferre quid*  
*possimus: habentes autem alimentum, &*  
*quibus tegamur, his contenti simus. Atqui*  
*vt paruo alamur, natura paucis con-*  
*tenta est, tegi verò etiam faciliùs, &*  
*minori possumus. Subiungit deinde*  
*ingentia mala, quæ auaritia secum,*  
*trahit, ac deniq; concludit; Tu verò*  
*homo Dei ( ita pastorem animarum ap-*  
*pellat ) hæc fuge, sectare verò iustitiam,*  
*pietatem, fidem, charitatem, patientiam,*  
*misericordiam.*

## CAPVT IV.

Sit Castus, & Sobrius.

NVM: I.

*Necessitas castitatis præsertim in*  
*Neo-parochis.*

Non

NON licet, neque hîc lubet excurre in laudem Castitatis: licet habeam campum apertum, & latè patentem. Paucis multa complexus est S. Bern: *Quid, ait, decorius Castitate? quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum deniq; de homine facit?* Verùm vt in omni hominum genere decora sit, mascula, imò Angelica ista virtus, at certè non modò decora est in Sacerdote; sed etiam apprimè necessaria, idque significabat in lege veteri tunica Sacerdotalis non modò de se stricta; sed quam etiam baltheus ad renes arctiùs adstringebat: quæ lex multò nunc magis nostros Sacerdotes obligat, quòd ad res sanctiores, diuiniorésque tractandas initientur, & quotidie in sacrificio castissimum Agnum; CHRISTI corpus & sanguinem, manibus, ore, intimis visceribus contingant, quod fieri oportet, sanctè, castè.

NVM:

*Difficultas.*

**A**T tibi præ ceteris, mi Neo-paroche, ad æmulationem, & gloriam Angelicæ Sanctimonix majori studio enitendum est, quòd ob singulares causas ad eam pertingere tibi futurum sit difficilius: nam primò euocaris ex eo loco, vbi plurima stabant tutandæ pudicitix propugnacula, scholarum optimi magistri, Marianarum Sodalitatum exercitationes, Superiorum, qui à latere, & in oculis perpetuò aderant, vigiles curæ. Nunc verò immitteris in liberum campum, ad pestilentem auram, vbi remotis arbitris, & censoribus effrænes passionés, præsertim libidinum, impunè magis vagantur, & potentiùs abripiunt, præsertim juvenilem tuam ætatem, quæ ignem oleúmque subministrat; vt totus non magno negotio in flammam abeas. Deinde ( quod  
caput

caput est) ad ardendum incentiva in-  
posterum crebrius incident, & vehe-  
mentiùs incitabunt, vel ex domestico  
foeminarum contubernio, vel ex ali-  
quarum nonnunquam familiaritate,  
prætextu quodam pietatis; nonnun-  
quam verò ex necessario subsidio offi-  
cii pastoralis. Nihil periculosius ad  
maufragandum, quàm istæ Syrtes,  
Scyllæ, Charybdes. Præterea domum  
aduentant, aliæ nescio quid negotio-  
rum acturæ: aliæ in templo consiten-  
tes audiuntur ad aurem nullo teste,  
nullo arbitro, non rarò locis, & tem-  
poribus obscuris, coniugatæ, viduæ,  
puellæ, nonnunquam etiam lupæ.  
Nemo non videt, quàm ista, præser-  
tim si in animum minùs castum incur-  
rant, primò validè succutiant, deniq;  
deturbent. Res loquitur, & utinam  
tacerent exempla. Quare meritò  
Concil: Trid: sess: 25. de reform: c. 14.  
prohibet quibuscunque Clericis, ne  
Concubinas, aut alias mulieres, de qui-  
bus

bus possit haberi suspicio, in domo, vel extra, teneant, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant, alioqui vult, vt poenas à sacris Canonibus vel statutis Ecclesiæ impositas incurrant. At necesse est, inquires; vt, nisi Pastoris personam, aut munus depenam; cum foeminis verfer, subinde etiam conuerfer. Quid tunc agam? Clypeum, & loricam indue, vt vel hostile telum retundas, vel infringas, vel ictum saltem euites. armis, & præsiidiis hîc opus est, acriterq; decertandum, ideo Palladem Virginitatis Deam, antiquitas armatam esse finxit. Verùm ista persequi iam non vacat, ad libri calcem quædam necessariò dicenda mihi erunt; audies; si placet.

N V M: III.

*Sobrietas.*

**S**obrietas ebrietas, nomine affines, re maximè repugnant: illa castitatis amica, hæc inimica. proli-

XIII



xum rursus argumentum : sed institutum meum monet, vt breuis siml. : ego hîc satis habuero, si, quantum Parocho necessaria sit sobrietas, ex ebrietatis turpitudine ostendero. Philistini sacerdotes Dagon ventriculosum Deum, imò totum ventrem, coluère quondam. crederétne quispiam idolum istud etiam inter primos Christianos sua templa habuisse, suas aras, suos sacrificulos? certè Apostolus tales aliquos etiam flens agnoscit, quorum Deus venter erat : quem locum explanans Tertullianus : *Deus, inquit, venter, pulmo templum, aqualiculus altare, quibus tota charitas in cacabis feruet, fides in culina, spes tota in ferculis.* Et verò hic ventri-dæmon habet adhuc aliquos mystas, & sacrorum ministros, atq; vtinam nullos ex Sacerdotibus Christi, quibus istud Jeremiæ occlamandum sit. *O Pastor! O Idololum!* quid enim esset pastor ebrius aliud, quàm Idololum? oculos haberet, & non

& non videret; aures, non audiret; nares, non odoraretur; manus, non palparet; pedes, non ambularet; lingua pastoris est iste pastor, ac ne homo quidem: rectè enim Chrysologus: *Ebrietatem qui habet, homo non est, & Augustinus, eam qui habet, seipsum non habet.*

Agedum nunc; quid fiet isto pastore non pastore, homine non homine? an sine graui gregis offensione præesse, an omnino officium facere poterit? si dicendum ad populum, si omnino loquendum erit, aut impedirà linguâ amittet vocem, aut humanam non edet; frendebunt dentes, labia tremant, nec manus, nec pedes obsequentur; errabit, labetur velut comitali morbo correptus, & quâ ratione homo ratione carens, horas Canonicas recitabit? quomodo stabit ad altare? quo ore DEVM vocabit? quibus manibus tractabit? quâ temeritate in stomachum eructantem

B

per

per impuras fauces transmittet? aut  
( si à sacrificio abstineat ) in templo  
vel non cantabit, vel submugiet.

Denique quanto non solum cum  
scandalo, verum etiam cum periculo  
baptismum, absolutionem, Eucharis-  
tiam, extremam vñtionem balbuti-  
ens, titubans, vix sibi præfens, admi-  
nistrabit? Tamen ad sua munia ritè  
obeunda, ad Sacramenta sanctè mini-  
stranda dies, noctesque, ac properno-  
dum omni temporis momento Paro-  
chi prompti, & expediti esse debent  
nam plerumque, vt sit in humanis, su-  
biti, & inopini casus accidunt, quibus  
necessitas, aut commoditas populi, su-  
iure salutis auxilia deposcentis, ope-  
implorent, & quam pastores exhibe-  
re teneantur. En tibi, quàm necess-  
sit te, non modò nunquam ebrium, sed  
semper sobrium esse: nam ebrios Pa-  
rochos credo iam nullos esse, aut cer-  
tè paucos, at minùs sobrios, paulò  
plures. De conuiujs, popinis, & lu-

libus

libus erat quoq; aliquid, quod mone-  
rem: Verùm alio postea loco fiet  
commodiùs.

## CAPVT V.

Sit Prudens, Vigilans, Diligens,  
NVM: I.

*Regimen animarum singularem requirit  
prudentiam.*

**P**Rudentia ceterarum virtutum  
moderatrix est: iis enim medium  
ponit, intra quod consistant, ne defe-  
ctu, aut excessu à recto exorbitent.  
Principalis est hæc virtus, id est, viro-  
rum principum, & regum: sine quâ  
regere velle insania est: Philosophi  
ea mens est, idq; sapientes Ægypti o-  
culo ad summitatem sceptri fixo hye-  
roglyphicè adumbrârunt; sed nulli  
prudentia necessaria magis, quàm pa-  
storibus animarum: est enim hoc regi-  
men, vt eminens, ita perarduum,  
ideóque Christus, cùm Apostolos ad  
salutem animarum ex officio procu-  
randam

randam emitteret, prudentiam nominatim commendauit. *Estote prudentes, sicut serpentes*, quorum scilicet oculi & vigiles sunt, & ad peruidendum perspicaces. Quid hîc ais; Neo-paroche? plurima sanè tibi erunt dicenda pro suggestu in concione, pro facibus tribunali, publicè, priuatim; sæpe danda consilia petentibus; sæpe notanda petentibus suggerenda; subinde etiam ex tempore: Argum propterea te esse oportebit, centum oculis præditum, ut omnia longè latèq; conspicias, & omnibus prouideas. Profectò homo imprudens, & quem necdum magister usus docuit; tam multa, tamq; variata atq; perplexa, neq; rectè, neq; probe peruidebit, neq; verò conficiet. Quid inde? illud sequitur. *Si cæcus, cæco, & reliquum nôsti.*

## NVM: II.

*Modi assequendi prudentiam in munere pastoralî.*

At

no-  
uden-  
oculi  
dum  
oarp  
cend  
facu  
fæp  
no  
tiam  
re ef  
tum  
s, &  
nom  
giste  
vari  
robi  
Quid  
, & c.  
m-  
at

**A**T ego, inquires, neq; Argus, neq;  
centoculus sum, neq; per ætatem  
aut experientiam esse possum: &  
quam tu à me homine nouo, ante an-  
nos, & vsum, prudentiam quæris, aut  
requiris? neque enim Salomoni me  
comparo, qui in somno repente sapi-  
ens euadam. Rectè, ais; igitur Salo-  
monis exemplo, qui iuuenis, & parùm  
expertus ad regendum vocatus est,  
ante omnia multà, & ardenti prece  
sapietiam è cælo accerere: ibi enima  
sedem habet. inde Salomon accerere-  
bat. *Sciens, ait, quia Sapientia* (nam de  
eâ loquitur) *continens esse non possum, nisi*  
*Deus det, adii Dominum, & deprecatus*  
*sum. Emitte* (ita enim orabat) *Domine,*  
*sedium tuarum assistricem sapientiam, &*  
*noli me reprobare à pueris tuis, mitte illà*  
*de sede magnitudinis tue: ut mecùm sit, &*  
*mecum laboret, ut sciam, quid acceptum*  
*sit coram te omni tempore. Aurea & flex-*  
*anima est oratio: eam tu quoque vsur-*  
*pa, tunc potissimùm, cùm res dubiæ,*

B 3

&amp; in-

& intricatæ inciderint. Ita Salomonis quoq; parens Dauid factitabat. nam eum difficilia, & obscura contingeret, adibat sacra templi adyta, atq; ad aram Diuinæ Maiestatis supplex ex propitiatorio diuina responsa deposcebat.

Hoc primum, vt sapiens breui euadat: alterum illud erit, vt quoniam homines Deus per homines erudit ( ideo enim Paulum, cum ex eo quaereret, *Domine, quid me vis facere?* ad Ananiam remisit ) consilia expete viris eruditis, & prudentibus, à quibus nullo negotio ediscas sapere, quod sibi illi magno sudore compararunt. Et quoniam non semper sunt ad manum viui, quos consulas, agere frequenter cum mortuis, virorum inquam, eruditorum, post mortem superstitem libros oculis, & manibus tere, ex quorum lucernis lumen accipias. Ita ferunt Alphonsum Aragoniæ Regem à familiari deprehensum,

cum

cùm librum identidem manu pulsa-  
ret; rogatum verò cur id faceret, re-  
spondisse, ex mortuo sana consilia se  
sciscitari: neq; eum pudebat, etsi sa-  
pientissimus esset, ex illis discere, si  
quæ nesciret. Et viuos quidem ha-  
bere poteris, si non præsentēs & co-  
ràm, quos saltem scriptis literis adeas,  
neque deerunt fortè, è viciniâ aliqui  
te sapientiores, & subinde qui te adeât,  
& quos audias. Sin minùs, habe domi  
libros, quæ tibi præcipua sit supellex,  
eorumq; lectioni incumbere: id Timo-  
them licèt Episcopum, atq; Docto-  
rem monet Apostolus: *Attende, inquit,*  
*tibi, & doctrine, insta in illis: hoc enim*  
*faciens, & te ipsum saluum facies, & eos,*  
*qui te audiunt.* Sed tu fortassis in eo  
errore versaris, in quo non pauci, qui  
sicut nautæ, cùm in portum se appu-  
lisse putent, aut somnient, funes sol-  
uunt, vela contrahunt, anchoras fi-  
gunt: ita nonnulli cùm in Acade-  
miis, scholis, seminariisque, velut in



navigatione studia, libròsque tractà-  
 rint; iam Parochiam, quasi portum,  
 quò tendebant, assecuti, studia remit-  
 tunt, & lacertos; nihilq; agunt, aut  
 alia potiùs, quàm vt sese exercendo  
 perficiant. Atqui conciones iam ha-  
 bendæ ad populum, fides rudibus ex-  
 plicanda, in adultioribus firmanda,  
 contra hæreticos propugnanda; ex-  
 stirpanda vitia, virtutes inserenda.  
 hæc profectò non vulgarem eruditio-  
 nem desiderant. itaq; bibliorum vo-  
 lumina euoluenda, ingens opus; le-  
 gendi interpretes, magnus labor; ca-  
 sus conscientia explicandi, labyrinthus  
 est; controuersia pertractanda,  
 difficile studium; Ius Canonicum con-  
 sulendum, & SS. Patres interrogandi,  
 vastum mare.

At, inquires, vnde mihi locus, &  
 tempus suppetunt, vt in istud me pi-  
 strinum compingas; vnde sumptus,  
 vt mihi tam locupletem librorum su-  
 plectilem comparem? Primò locus  
 est

est Musæum tuum, quamuis angustum. Temporis sat erit, si otium fugias, si superfluo somno, inanibus negotiis aliquid subtrahas: sumptus abundè suppetent, si alibi, vbi opus non est, minuas. Neq; peto, vt Alexandrinam, aut Vaticanam bibliothecam instruas. Pauci sufficient libri, si selegeris, qui ad rem tuam facient. Sacram Scripturam, quam S. Ambrosius librum Sacerdotalem, S. Dionysius substantiam Sacerdotum appellant, facilè comparabis, vnum præterea, & alterum bibliorum interpretem, aut Cornelium à lapide, aut breuiorem Commentatorem Sa, & Mariani: ad conciones accommodatas populo faciet plurimùm Matthias Faber: controuersias expediet Becanus: Casus conscientiae Layman, aut breuior Binsfeldius, aut Toletus, aut Bassæus, & nuper editum Antuerpiæ Compendium Dianæ. Ad multa utilis erit Iacobus Marchantius, & Ioan-

nes Baptista Possevinus. Concilium Tridentinum, cum librorum prohibitorum indice, non vltimum locum teneat, & eiusdem Concilii Catechismus. Iuuerit etiam Catechismus historialis Antonii Dauroutii. Ac, ne te negligas, libri in promptu & manibꝯ sint aliqui spirituales; Thomas à Kempis, Meditationes Lud. de Põte, Opuscula Drexelii, Arias. Finio cum epilogo Thomæ Campensis: *Ecclesiasticus sine libris, quasi miles sine armis, equus sine frœnis, nauis sine remis, scriptor sine pennis, avis sine alis, sutor sine subulis, faber sine malleo, sartor sine acu, viator sine baculo.*

## NVM: III.

*Vigilantia.*

**P**Ars prudentiæ vigilantia; vti hæc ad superandos hostes, victoriámq; reportandam in ducibus belli plurimùm valet, cunctatio verò, aut somnolentia plurimùm officit: ita in animarum negotio vigil cura, oportunitas

runitas captata, & arrepta occasio  
maximè ad rem faciunt: utq; militiæ  
Præfectos dies, noctesq; vigiliis age-  
re, & excubare oportet, ne ex insidiis  
hostes aggrediantur: ita multò etiam  
magis, Rectoribus animarum inuigi-  
landum, ne Tartarei prædones inuo-  
lent. Et (ut dicamus istud è re accõ-  
modatiùs) uti Pastores ouium vigilare  
debent super gregem, ne lupi, qui per-  
petuò prædæ inhiant, in ouiculam,  
præsertim ex gregem, irruant: ita ani-  
marum pastoribus agendum, eoque  
magis, quòd animarum lupi ouinam  
pellem plerumq; induant: ut incau-  
tos cautiùs fallant, ac vorent. Hoc  
propè eòdem pertinet, Speculatorem  
te esse oportet, qui in altiori loco po-  
situs attendas, si quis orthodoxæ do-  
ctrinæ, vel bonorum morum hostis  
irrumpat: ut veluti ad arma, & incen-  
dium clames, &, quo poteris mo-  
do, malum depellas: alioqui scis, quid  
supremus Pastor minetur, *sanguinem*

36 *Manualis Parochorum.*  
*eius ( qui perierit ) de manu tua requi-*  
*ram.*

NVM: IV.

*Diligentia.*

**P**ARS altera prudentiæ est diligen-  
tia, sedulitas, maturatio. Negli-  
gere, & lentius, quam par sit, agere,  
aut cunctari, multum in bellis, & ciui-  
libus negotiis nocementi adfert: plus  
in curâ animarum: occasiones hic ne-  
glectæ, aut non arreptæ, quæruntur  
deinde cum lacrymis: sed iam fru-  
strâ; cum aufugerint, non redeunt.  
Scribit S. Gregorius l. i. dial. c. 12.  
rem miram de Seuero vitæ admirabi-  
lis, Ecclesiæ B. V. sacerdote, quam hi-  
storiam iisdem propè verbis subiicio.  
Sacerdotem illum quidam Paterfami-  
lias, cum ad extremum venisset di-  
em, missis nuntiis rogârat, vt ad se  
quantocyùs veniret: inopinatò verò  
contigit: vt Sacerdos ad putandam  
vitem esset occupatus, atque ad se ve-  
nienti-

nientibus diceret : antecedit , ecce  
subsequor ; cùmq; videret sibi in eodẽ  
opere parùm superesse , paululùm mo-  
ram fecit : vt opus , quod minimum  
restabat , expleret : quo expleto , cœpit  
ad agrum pergere. Eunti verò in iti-  
nere occurrentes , qui priùs venerant ,  
Pater , inquit , quare tardâsti ? noli  
fatigari , quia iam defunctus est : quo  
audito ille contremuit , & magnis vo-  
cibus se interfectorem illius clamare  
cœpit : flens itaq; peruenit ad corpus  
defuncti , seq; coram lecto illius cum  
lacrymis in terram dedit , cùmque ca-  
put tunderet , seque reum mortis illius  
clamaret , repentè is , qui defunctus  
fuerat , animum recepit , significauitq;  
iis , qui attoniti aderant , se à tetris ho-  
minibus , ex quorum ore , & naribus  
intollerabiles ignes exundabant , per  
obscura loca deductum , donec accur-  
rens pulcherrimus Iuuenis iussit re-  
duci : quòd Seueri presbyteri lacry-  
mis Deus illum vitæ , & salutis redo-

nâsset: igitur vitæ redditus, cùm septem diebus pœnitentiam egisset, octauo die, tum scilicet ritè expiatus, iterum viuere desiit. Paucissimi, ô mi Neo-paroche, sic redeunt, pauciores reperias Seueros, qui lacrymis id suis impetrent. Et cheu! vnus morulæ spatio quantæ res interuertuntur? antequam ille de vite surculum putaret, mors vitam isti amputat, neque hîc te iuuat istud, *non putabam*: putare enim debueras: hinc illæ lacrymæ; illius sum interfector, reus mortis. Quid fiet, si qui ad baptizandos infantes, aut absoluendos infirmos vocati, hærent non in vineâ, sed tabernâ vinariâ; tergiuersarentur, cunctarentur, procrastinarent? mortuum fortè reuocare non poterunt ab inferis; sed sequi possunt: non fit, inquis: sed si fieret?

## C A P V T VI.

Sic cultus Diuini studiosus.  
NVM:

## NVM: I.

*Hoc studium ad Parochos maximè  
pertinet.*

**P**ietas, siue Religio<sup>T</sup> virtutibus  
Theologicis proxima, Moralium  
facile princeps, veri Numinis cultum  
respicit, & ritè procurat. Est quidem  
ea virtus (vt sunt quæque cuiq; ætati  
suæ) propria Adolescentiæ: sed ta-  
men in adolescentibus in flosculos fe-  
rè tantùm se induit, fructus necdum  
profert, saltem decoctos; crescente  
ætate crescere, roborari, & ad matu-  
ritatem perducì debet: debet autem  
maximè in iis, qui rerum sacrarum,  
& animarum curam sibi propriam su-  
munt: hi enim sancta sanctè tractare,  
& religionem procurare tenentur ex  
officio: atq; ad hoc munus, sacris  
sunt ordinibus initiati. Itaq; sacrile-  
gium erit, si perfunctoriè, si oscitan-  
ter, & neglectim, si impiè res Diuinas  
attrectent.

NVM:



## NVM: II.

*Quibus rebus in se ipsis pietatem excolere debeant.*

**M**ulta circa Religionis munia præscribenda essent, quæ paucis complectar: ne longius excurram. Primùm tu te ipsum ad pietatem exerce, manè sub auroram, priusquam te cura gregis, & negotia auocent, tecum, & cum Deo age, & ad consuetas precatiunculas meditatiuncularum Diuinarum paucillum temporis tribue: compendium istud diei erit, non dispendium: materiam meditando in dies singulos abundè suppeditabit summarium meditationum. Ludouici de Ponte, aut Busæi conscriptus de eo argumento libellus.

Vesperis ad reliquas preces concede aliquid examini conscientia, & diei exactæ ratione accuratè à te exige, præsertim circa defectus in curâ pastorali commissos, & ex certâ formulâ

mulâ actum amoris Dei super omnia,  
& perfectæ contritionis elice: iuuat  
id plurimum contra repentinos no-  
ctium & mortium casus.

Nocturnum, diurnumq; Officium,  
quia quotidianum pensum est, & offi-  
cium tuum, exactè persolue: multum  
in eo recitando peccatur, si nimis  
properanter, si detruncando, vel men-  
te alienâ, si indecenti corporis situ,  
aut loco, aut tempore: si non inte-  
grè: quo in genere maximè cau-  
endum, ne ex culpâ partem notabilem  
negligas: periculum autem maius  
est, cum itinera longiora suscipiuntur,  
dum conuiuuiis indulgetur, dum nego-  
tia, quæ temporis multum decerpunt,  
actitantur: ideo Parochis occupatio-  
ribus consultius erit, si impedimenta  
præuideant ( & ferè inopinatò pluri-  
ma accidunt ) vt, quod licet, vel pri-  
die ad vesperum, matutinum & lau-  
des recitent, vel sequenti die maturè  
ante omnia maiorem Officii Diuini  
par-

par-

partem, aut totum exsoluant, si postea se impediendos aduertant. Sacram Confessione non dico labes, quod magis necessarium est, sed etiam labeculas, quod consilii est, saepe expia, quò purior sacrifices. Sacerdotes Mo- saici sacra tractaturi, quotidie laua- bant: quam in rem prostabat vas æne- um ex mulierum speculis: ut curiosè vel minimas labeculas inspicerent, eluerentque: quàm æquius est te face- re, qui diuiniora tractas? Audi Augustinum in Psal: 99. *Semper consi- tere, quia semper habes, quod confitearis: difficile enim est in hac vitâ, ut sic homo mundetur, ut nihil inueniatur in eo, quod reprehendatur.* Vide pro exemplo Ele- phantem:

*Quotidie surgens viuo se perluit amne.  
Ut solis radios orientis purus adoret.*

N V M: III.

*Ministeria sacra ritè peragenda.*

Nunc

Nunc ad ministeria sacra attendamus. Obeunda tibi illa sunt: animum recollige, quæ agenda erunt, reuerener, exactè, & ritè pertracta: Quæ voce promenda, distinctè, & cum pietatis sensu pronuntientur, præsertim in Sacrificio, & administratione Sacramentorum: id postulat rerum ipsarum dignitas, & ædificatio præsentium, qui offenduntur alioqui, si irreligiousè vident peragi Sacra à Sacerdotibus, neq; credunt res sacras esse, quæ indignè à ministris tractantur. Cauendum tamen, ne nimiâ religione quid in hoc genere pecces: vt si affectes modulatam, aut nimium compositam pronuntiationem, si gestiunculis quasi Comicum agas, si longâ cunctatione, fastidium, & nauseam aliis crees: moderatio enim etiam in Sacris adhibenda.

NVM: IV.

*Decor, & decorum in templo.*

Porro

**P**orrò ædem sacram subeamus: hic enim locus præcipuè religioni, & cultui Diuino sacer est; Deus non tantùm intentos habet oculos, & aures in locum istum: sed Christus ipse in Eucharistiâ præsens est, assistuntq; è cœlesti curiâ Angelicæ mentes supremo suo, tuoque Principi: quare tibi sacrorum ministro incumbit: vt templo, quam basilicam, id est, regiam Græci vocant, accurentur, quæ ad ipsius dignitatem, splendorémque spectant: quo in genere multa tibi præscribuntur: vt templi sarta tecta feruentur, parietes, & pauimentum ab araneorum telis, & sordibus expurgentur, & si fieri potest, niteant: altaria integra sint, & decenter ornata. religiosè, quâ decet reuerentiâ Venerabile Sacramentum, & Sacram Chrisma, Aqua baptismalis, Oleúmque infirmorum suis locis asseruentur; sacra supellex, vasa, præsertim quæ altari, & sacrificio consecrantur, si

non

non splendeat, saltē mūda sint; vestes de-  
niq; Sacerdotales purę, neque obsoletę.

In templis nostris aurum, argen-  
tum, gemmę, tapetia pretiosa, & exi-  
mię artis; ornamenta verò æquę pre-  
tio atq; arte exquisita; Attalicę de-  
niq; opes decerent sanē magis, quàm  
in aulis Principum, Regum, Cęsarum:  
sed à te Neo-parocho summa non  
exigo: istud velim; vt curare saltem  
decorem illum velis, quem in Nepo-  
tiano laudat Hieronymus: Erat, ait,  
sollicitus, si niterent altaria, si parie-  
tes absq; fuligine, si pauimenta tersa,  
si sacrarium mundum, si vasa luculen-  
ta, & in omnes cæremonias pia sollici-  
tudo disposita. Possumus & de illo  
dicere, qui basilicam Ecclesię, & Mar-  
tyrii conciliabula diuersis floribus, &  
arborum comis, vitiũmq; pampinis  
adumbrãrit: vt quidquid placeret in  
Ecclesiã tam dispositione, quàm visu,  
Presbyteri studium, & laborem testa-  
retur: ita ille.

Verũm

Verùm lacrymas hìc mihi erum-  
pere sentio, siue doloris, & pudoris,  
propter prophanatam rerum sacrarum  
tractationem; siue iustæ indignatio-  
nis (habet enim etiã ira suas lacry-  
mas, cùm se vlcisci non potest) ob  
nonnullorum propè, etiã mihi ocu-  
lato testi perspectam, in rerum Diui-  
narum violatione impietatem. Ali-  
cubi, ruri præsertim, tecta perpluunt,  
parietes non modò aranearum telis  
obtenduntur, sed squalent, & prope-  
modum imbre pluuio suffodiuntur,  
denudantur altaria, aut vix vili linteo  
obteguntur; pauimenta luto opplen-  
tur, Sacerdotum vestes aut fædè de-  
tritæ visuntur, aut lacerae; corporalia,  
purificatoria, patenæ, calices, quæ  
Christi Corpus & Sanguinem vel  
continent, vel contingunt, inexpian-  
do scelere, non sordescunt modò, sed  
nonnunquam sordent. Pudet dicere,  
& narrare horreo: interim domus Pa-  
storis, non tuguria, & nonnullorum  
oppi-

Oppidanorum etiam viles casæ, cum  
 nundinæ, aut conuiuialia festa aguntur,  
 nitent, mensæ splendent, supellex re-  
 nidet, Dominus pagi, aut arcis bibit  
 argento, si non auro, & gemmeis con-  
 chis; certè è splendido vitro, aut chry-  
 stallino cyatho, adhibentur strophiola  
 ad nares, & manus detergendas; in-  
 mensis mappæ, & mantilia maioris  
 operæ atque sumptûs, quàm quæ ser-  
 uiunt templo, & altaribus: fleret Da-  
 uid rex, si viueret, atq; ista spectaret,  
 qui olim, quando de templo veteris  
 legis, sacrificiis, ac ritibus ædificando  
 cum Nathan agebat: *Vidēsne, inquit,  
 quòd ego habitem in domo cedrinâ, & ar-  
 ca Domini posita sit in medio pellium?* Iam  
 quid si Aggæus Propheta nostra spe-  
 ctaret: nonne æquiùs, quàm in Iudæos  
 excandesceret? *Nunquid tempus vobis  
 est, ut habitetis in domibus laqueatis, &  
 domus ista deserta? Domus mea deserta,  
 & vos festinatis unusquisq; in domũ suã:  
 propter hoc prohibiti sunt vobis cæli: ut da-*



*vent rorem, & terra germen suum.* O do-  
 lor ! nam nostrum hîc vlcus impacto  
 vngue tangitur : qui studiosius inda-  
 gant causas calamitatum, quas hære-  
 ses, & per illas bella funestissima iam  
 tot annis in Europam inuexere : ob-  
 seruant malorum initia à templorum,  
 rerumq; sacrarum incuriâ, & sacrile-  
 go neglectu cœpisse, easq; pœnas, quæ  
 secutæ sunt, diuinitus inmissas fuisse,  
 ob prophanatam templorum, altari-  
 umq; religionem : quæ res animos in-  
 cessit, atq; impulit eorum, qui cum  
 hæreseon impietatem profligare la-  
 borarent, pulsamq; pressamq; religio-  
 nem reuocare vellent, eò studia sua  
 verterunt, vt suis redderetur templis,  
 rebusq; sacris honos, ornatus, decor.  
 Huc & tu, mi Neo-paroche, studium  
 conuertes, Salomonis, Daudis, Con-  
 stantini, aliorumque, quibus ea cura  
 cordi fuit, exemplo : vt, cum oras,  
 ex corde proferre possis illud Regii  
 Psalmistæ, *Domine, dilexi decorem do-*  
*minis*



alia, sui impotentissimum elementum, obuia quæque ambit, lambit, carpit, edit, vorat : si nihil assequitur, quod appetit, petitque, se ipsum depascitur, atque exedit.

Verum non omnis zelus virtutis aut laudi vertitur. Optimus ille, qui zelus est diuinæ gloriæ, & salutis animarum, quanquam hæc vix distinguere possunt : Quippe cum ad diuinam gloriam referatur animarum salus, qui diuinæ gloriæ vehementer ardens, idem animarum salute flagret, necessarium est. Itaque, qui harum duarum rerum zelo incensus est, nihil non cogitat, nihil non loquitur, nihil non agit, quo Dei honorem, & salutem aliorum impatienter, impotentèrque procuret; ea verò, quæ aduersantur, aut sunt inimica, hostiliter persequitur, neque cessat, quin in se conuertat; nihil verò assequatur, languet, contabescit, & se depascendo extinguatur.

NVM.

## NUM: II.

## Exempla.

**C**ogita tu hinc mihi ex multis sancto zelo inflammatis, ex quibus erumpunt hæ flammæ, Jeremias, Dauides, Paulos. *Factus est in corde meo, quasi ignis exestuans; audiui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu. Tabescere me fecit Zelus meus: vidi prænarrantes, & tabescebam: Vide iam ex illo igne liquescentes lacrymas: Exitus, id est, lacrymarum fontes, deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Moysen fileo. dic quæso, quis & qualis est Paulus? Evolve Epistolas: ardent, singulæ sententiæ non ignes sunt, aut flammæ; sed incendia. Præterea vide Pauli sectatores Chrysostomum, Ambrosium, tres Gregorios, & recentioris memoriæ Carolum Borromæum. Hoc scilicet verè, & propriè Pastoritium, zelare Domini gloriam & animas: ac te quidem, mi

Neo-paroche adhuc vt omnia initi  
solent, feruere arbitror: verum si te  
cum summis illis viris conferas, tepi  
dus es, ne dicam frigidus: suggeran  
igitur quasi malleolos, & faces; qui  
bus te vehementiùs incendam.

NVM: III.

*Incentiua.*

**P**rimùm expende suis moment  
mumus, quod suscepisti. Pasto  
es; pastoris est vigilare, excubare,  
speculâ omnia circumspicere, ne qu  
vel clàm, vel apertè irruant lupi Tar  
tarei, qui perpetuò prædæ inhiant  
vi obfistendum, ne gregem impetant  
extrahendum ex ipsis faucibus, si ou  
culam rapuerint, etiam, si opus est  
occumbendum: ita vigilabant, ita  
pugnabant Iacob, & David pastores  
*Die noctuq<sup>3</sup>, ait ille, estu urebar, & gela*  
*somnisq<sup>3</sup>, fugiebat ab oculis meis. Et alter*  
*Pascebat, inquit Sauli, seruus tuus patris*  
*sui gregem: & veniebat leo, vel ursus, &*

*tolle -*

tollebat arietem de medio gregis, & persequeretur eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. Agnosce officium boni pastoris, graphicè describit illud Ezechiel c. 34. *Quod infirmum in grege est, consolidare; quod agrotum, sanare; quod confractum, alligare; quod abiectum, reducere; quod perierat, querere.* Hoc princeps pastorum Christus fecit: verè bonus pastor, qui etiam animam posuit pro ouibus suis: superaria munus, quod suscepisti, à te exigat: atqui ad ista animis opus est non remissis, aut tepidis: sed acribus, atque vehementer incensis.

Præterea incendere te debet operis suscepti magnitudo, & præstantia. S. Gregorius *nullum omnipotenti Deo par esse sacrificium zelo animarum pronuntiat; affirmat S. Chryl.* quamvis perpetuum cum corpore bellum incensas, quantumvis ieiunia producas, hu-

mi cubes, opes in egenos profuderis, his omnibus vel vnum salutis alienæ zelum gratiorem esse: sed nihil ad commendationem, laudemq; præstantius quàm quòd, velut ex oraculo, effatus est S. Dionysius, *omnium diuinorum operum diuinissimum esse, cooperari Deum in salutem animarum.* Et sanè quid potest esse diuinius, quàm cum Paulo gloriari in Domino posse, *Christi factus sum ego minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia, cuius factus sum ego minister.* Valet præterea ad ignem illum in te excitandum dignitas, & pretium vnus animæ, quam Deus tanti æstimat, vt pater æternus non dubitaret Filium vnigenitum dare, neque filius detrectaret seipsum tradere crudelissimæ, & ignominiosissimæ morti, vt animas redimeret. *Redempti enim sumus, non corruptibilibus auro & argente; sed sanguine Filii Dei*

*& qui*

*Et quidem ad ultimam unciam profuso:*  
nam ideo aperiri sibi mortuo cordis  
latus voluit, ut si quæ gutta superes-  
set: effunderetur. Neq; ardentissimã  
hunc zelum frigida mors extinxit.  
Etiamnum in cælo salutis nostræ zelo  
ardet: etiamnum iterum, iterumque  
promptus, si opus foret, eosdem cru-  
ciatus subire, eandem in cruce mortem  
obire animarum causâ; idq; in claris-  
simâ visione Carpo olim demonstra-  
uit: ut sanctus Dionysius scripsit epi-  
stolâ ad Demophilum.

Deniq; cogita præmium, quod post  
hanc vitam manet eos, qui animas ab  
inferis extractas cælo adscribunt: *Ful-*  
*gebunt illi, ex Danielis vaticinio, tanquã*  
*stella in perpetuas æternitates;* quæ Aureo-  
la est eorum, qui alios ad iusticiam e-  
rudiunt: & quantum putas fore gau-  
dium, cum eos in gloriâ cælesti tri-  
umphantes conspicient, quos ipsi suo  
studio, atq; operâ è vitiis ad virtutes  
traductos ad eam meritorum segerem,



56 *Manualis Parochorum*  
meritiq; lauream triumphī prouexerunt? Latabuntur profectò coram DEO, sicut qui letantur in messe; sicut exultant victores captâ prædâ. Verùm quid his diutiùs immoror? Quia ingessi malleolos, & faces; incentiva hæc sufficiunt, etsi fortè sis marmore & chalybe frigidior; nam etiam hæc admotis ignibus incallescunt.



INSTI